

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

## **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp  
Gerhard, Johann**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617681**

Caput CXXV. Christus Proficiscitur Per Samariam In Galilaeam, Et In Itinere  
Decem Leprosos Verbo Sanat. Luc. 17. v. 11.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18203**

## CAPUT CXXV.

CHRISTUS PROFICISCITUR PER SAMARIAM IN  
GALILÆAM, ET IN ITINERE DECEM LEPROSOS  
VERBO SANAT. LUC. 17. v. 11.

## RATIO ORDINIS.

**S**unt, qui hanc Christi profectionem conjungunt cum illa, aut certe statim subjungunt post illam, quam Lucas descripsit cap. 9. vers. 51. Sed verè, quod tamen pace tantorum virorum scriptum velim, graviter hallucinantur. Nam illic descripsit Lucas Christi iter, quod ex Galilæa suscepit per Samariam Hierosolymam versus ad festum tabernaculorum. In qua urbe & ejus vicina Christus aliquantisper duravit, donec Judæi secunda vice lapidibus ipsum inde expulerunt. Quia vero secum constituerat, quod, antequam pateretur, Ecclesias abs se plantatas in tota Palæstina visitare velit, illamque visitationem per septuaginta discipulos, Luc. 10. vers. 1. denunciari curavit in omni loco, quo ipse ventu-

rus erat. Iccirco hanc visitationem hætenus in Peræa & Judæa perfecit. Nunc Galilæam etiam postrema vice visitaturus, per Samariam, quemadmodum recta iter facienti necessum erat, in eam descendit. Ergo hic longe aliud iter describitur, nimirum quod Christus ex Judæa per Samariam suscepit in Galilæam. Et tamen tota hæc profectio à Luc. 9. vers. 51. ad finem usque hunc titulum retinet, quod *iverit Hierosolymam*, & quidem ut ibi complerentur dies assumptionis ipsius. Nam quæcunque hætenus acciderunt, illa nihil aliud sunt, quam præparatio ad passionem, & consummatio illorum dierum. Quapropter nullum est dubium, hanc profectionem cum priorè illa non esse commiscendam, sed hunc peculiarem locum ipsi tribuendum.

MIRACULUM DECEM LEPROSORUM  
IN VIA SANATORUM.

LUC. 17.

- |   |  |
|---|--|
| 11. Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ προεῦθεῖ αὐτῶν εἰς Ἱερουσαλὴμ, καὶ αὐτὸς διήρχετο διὰ μέσων Σαμαρείας καὶ Γαλιλαίας.                  | 11. Et factum est, dum iret Hierosolymam, & ipse transibat per mediam Samariam & Galilæam.                   |
| 12. Καὶ εἰσπρὸχόμενος αὐτῷ εἰς πῖνα κάμινον, ἀπήντησαν αὐτῷ δέκα λεπροσὶ ἄνδρες, οἱ ἕστησαν πόρῳθεν.                        | 12. Et cum ingrederetur quendam vicum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt procul.              |
| 13. Καὶ αὐτοὶ ἤραν φωνὴν, λέγοντες, Ἰησοῦ Ἐπιστάτη ἐλέησον ἡμᾶς.  | 13. Et ipsi extulerunt vocem, dicentes, Jesu preceptor, miserere nostri.                                     |
| 14. Καὶ ἰδὼν εἶπεν αὐτοῖς. προεβέντες ὀπίσθεξάτε ἑαυτοὺς τοῖς ἱεροῦσι. καὶ ἐγένετο ἐν τῷ ὑπάγειν αὐτὸς, ἑκατέρωθεν ἰδοῦσαν. | 14. Quos ut vidit, dixit illis: Ite ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, ut inter eundem mundati sint. |
| 15. Εἰς ἧ ἐξ αὐτῶν ἰδὼν, ὅτι ἰαθή, ὑποσέβη μετὰ φωνῆς μεγάλης, δοξάζων τὸ θεόν.   | 15. Unus autem ex illis ut vidit, quod mundatus esset, regressus est cum voce magna glorificans Deum.        |
| 16. Καὶ ἔπεσεν ὀπί πρὸς τὰ πόδια αὐτοῦ, εὐχαριστῶν αὐτῷ, καὶ αὐτὸς ἦν Σαμαριτῆς.  | 16. Et procidit in faciem ad pedes ejus gratias agens ei, & ipse erat Samaritanus.                           |
| 17. Ἀποκριθεὶς ἧ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν, ἐπεὶ οἱ δέκα ἑκατέρωθεν ἰδοῦσαν, οἱ ἧ εὐθέα πᾶς;   | 17. Respondens autem Jesus dixit: Nonne decem mundati sunt, novem autem illi tibi?                           |
| 18. Οὐχ' εὐρέθησαν ὑποσέβοντες δέναυ δόξαν τῷ θεῷ, εἰ μὴ ὁ ἄλλογενὴς ἐστίν.   | 18. Non sunt inventi redeuntes dare gloriam Deo, nisi alienigena hic.  |
| 19. Καὶ εἶπεν αὐτῷ· ἀναστὺς προεῖς· ἡ πίστις σε σέσωκε σέ.  | 19. Et ait illi: Surgens vade: Fides tua servavit te.  |

## Periocha hujus miraculi.

**S**alvator noster Jesus Christus recte vocatur Malach. 4. v. 2. Sol Justitiæ. Quemadmodum enim sol in cælo nunquam quiescit, sed incessabili motu non tantum ab ortu in occasum fertur; sed etiam modo versus septentrionem, modo ver-

sus meridiem, pro diversitate temporum anni declinat, ut sic terras & maria omnia lustret, ipsisque suæ lucis & caloris beneficium impertiat. Sic Christus in postrema sua profectioe versus Hierosolymam ad suam mortem, non tantum recta linea ad ur-

ad urbem illam per Samariam contendit; sed etiam inde digressus in Peræam versus ortum se contulit: hinc rursus in Judæam versus occasum: nunc deniq; rursus versus septentrionem in Galilæam. Idq; fecit in eum finem, ut omnes doctrina Evangelii sui illustraret, ipsisque beneficia sua tam corporalia quam spiritualia confirmet. Ideo recte de eo Petrus dixit, Act. 10. v. 38. Circumivit benefaciendo & sanando omnes oppressos à Diabolo, quoniam Deus erat cum illo. Et hæc omnia præstitit hinc inde peregrinando. Alioqui iter facientes putant se immunes esse ab eo, ut multum boni operentur, iccirco tempus fabulis & facetiis consumunt. Sed Christus hic & per omnem suam vitam diversum monstravit. Illustre quoq; exemplum habemus Act. 8, 28. in Eunuchio reginæ Candaces, qui in cursu suo legit Prophetam Jesaiam.

Quoad præsentem autem historiam, habemus decem miracula loco unius. Decem enim leprosis occurrentibus hic sol Justitiæ sanitatem corporis contulit solo verbo. Et quia consimilia miracula in Evangelica historia plura leguntur, putant aliqui, non posse singulares aliquas & utiles doctrinas ex contextu desumi, ideo eum suo loco relinquunt, & quarunt Allegorias, quid significet *lepra*, quid *ite*, quid *ostendite*, & sic deinceps. Equidem Allegoria, quam Augustinus hic habet, est satis elegans. Dicit per leprosos significari animam peccato infectam. 1. Sicut enim in lepra morbus & defectus est incurabilis, non in superficie cutis, sed in ipsa medulla (ut sic loquar) sanguinis, in epate, & interioribus corporis visceribus: sic etiam in homine coram Deo non tantum sunt peccata, externa illa mala opera, quæ etiam homines judicare possunt: sed coram Deo corrupta & depravata est tota nostra natura, caro, sanguis, anima cum omnibus suis facultatibus. 2. Per denarium leproforum numerum vult significari totum genus humanum, ob numeri perfectionem: & peccata nostra, quibus Deum offendimus, pugnant cum decem præceptis. 3. Christus & hi decem leprosi sibi mutuo occurrunt, & in primis leprosi properant, antequam vicum ingrediatur: sic filius Dei incarnatus venit in mundum, ut peccatores quæreret. Nos eidem occurrimus in humilitate, à longe, tanquam indignissimi. Ibi serio orandum, elevata voce ipsius misericordia imploranda, quia non ex operibus Justitiæ quæ nos facimus, sed secundum suam misericordiam nos salvos facit. Tit. 3. v. 5. 4. Christus vero hosce leprofos misit ad Sacerdotes, qui inter eundem mundati sunt: sic peccatores remittit ad ministerium verbi & Sacramentorum, ut per illud mudentur ab omnibus suis peccatis. Ibi enim reposita est virtus Dei ad salutem omni credenti, Rom. 1. v. 16. 5. Sicut autem non omnes decem, licet omnes sanati fuerint, redeunt, & Christo gratias agentes juxta totum hominem salvantur: ita quoque non omnes qui bene cœperunt, ad finem usq; perseverant, sed quidam recidivam patiuntur, cum quibus posteriora deteriora sunt primis. Luc. 11. v. 26. & 2. Pet. 2. v. 20. Hæc, inquam, Allegoria & jucunda est & scita: quia depingit totum Christianismum, quomodo is inchoetur, progrediatur, & ad finem usque perseverare debeat. Et si quis hujusmodi Allegoriis delectatur, utatur sane iis. Veruntamen

juniores concionatores parce iis utantur, ne cum Origene & Judæis omnia in allegorias commutent. Nisi enim illa in scriptura certa sua & firma fundamenta habeant, fatius est, illas omittere, quam inepte aut citra fructum iis uti. Itaq; tutius est simplici sensui literæ insistere, & statuerè, in scriptura nil tam exile esse, quod non peculiarem aliquam, si quis diligenter scrutetur, præbeat doctrinam. Quod in hac historia etiam videbimus.

1. Primum est, quod refert Evangelista, in postremo anno ministerii Christi accidisse, ut *dum iret Hierosolymam, & prius per mediam Samariam descenderet in Galileam*, quod apud vicum quendam parvum (Nam *κώμη* hic dicitur, quæ dictio castellum exiguum denotat) *occurrerunt ipsi decem viri leprosi, qui steterunt procul*. Sic enim Deus per Mosen ordinat, ut leprosi, à cœtibus hominum semoti, extra civitates & consortium hominum habitarent, Levit. 13. v. 46. Sicut etiam Miriam soror Mosis, Num. 12. vers. 14. leprosa extra castra remissa est: & Ozias rex 2. Paral. 26. v. 21. in separata domo habitavit, postquam leprosus factus est. Neque enim vult Deus, ut qui contagiosis morbis, quales sunt, lepra, elephantiasis, pestis & consimiles, aliis se immisceant, eosque simul inficiunt. Est hoc peccatum contra Christianam charitatem; Et immundi debent mundos vitare, congressu, convictu, tactu. Hi ergo à longe stantes, intenta voce clamant: *Jesu Nazarene præceptor miserere nostri*. *Ναζαρέτης* præfectum & aliis præpositum significat. Qua voce ipsum non solum sibi superiorem & præstantiorem agnoscunt; sed etiam morbis omnibus valentior, qui ipsis possit imperare, ut ad ejus mandatum cedere cogantur. Implorant autem ipsius tantum misericordiam; siquidem nihil habebant, quo se ipsi commendare poterant. Sic vero fiduciam suam in Christo testatam faciunt. Fidei enim natura hæc est, quod abjectis omnibus mundanis prædidiis, ad meram Dei confugit misericordiam. Sic hi sperant, si tantum Christus ipsos respiciat & consideret, quam miserandum in modum vivant, & quod vivi quasi mortui sint, futurum ut auxiliatricem manum ipsis adhibeat. Hic ante omnia notandum, quod apud vicum tam exiguum *decem leprosi* habitant; unde colligere licet, quod lepra apud Judæos fuerit plaga admodum vulgaris. Et quidem possent fortassis hujus rei etiam naturales causæ reddi: quod regiones orientales sint calidiores, ubi sanguis facile adurit. Sed apud Israelitas populum Dei, fuit hoc prorsus peculiare. Legimus enim Levit. 13. & 14. quod non tantum homines; sed etiam domus, vestes, lepra infectæ fuerint, hoc est, quod tale quid in muro, pariete, lino, veste & pilis apparuerit, quod lepræ speciem habuerit, ut qui vel in domo habitet, vel veste indueretur inficeretur. Unde domus vel desertæ vel dirutæ, & vestes ambustæ fuerunt. Et scribunt Judæi ipsi, in toto orbe nihil consimile fuisse in ullo populo. In Syria quoque floruerunt leprosi homines; sed de lepra vestium sive ædium nihil legimus: & qualis illa lepra fuerit, nos nescimus. Hoc autem certo certius ex scriptura, lepram esse pœnam peccati. Cur ergo Judæi, populus Dei, plus ea infestantur, quam aliæ gentes? Cur apud ipsos aliquid peculiare est quod

quod inter Ethnicos non invenitur? Resp. Hic se aperit doctrina. Nimirum hæc 1. Pet. 4. v. 17. Quoniam tempus est, & incipiat iudicium à domo DEI. Sic apud Christianos peccata à Deo gravius & citius puniuntur, quam apud Turcas & Tartaros. Quare? Quia Luc. 12. v. 47. servus sciens voluntatem Domini & non faciens, pluribus vapulabit. Qui ergo Dei verbum habent, illi exactius debent agnoscere, & diligentius etiam considerare peccata quam alii. Ideo dedit Deus populo suo memoriale in domo, in vestibus, in corpore, ut non dubitarent, quam primum ab ipsis verbo recedunt, quod è vestigio omnia ipsis futura sint immunda; licet vicissim mundis omnia munda: Tit. 1. v. 15. Ita & nobis omnes plagæ debent esse concio legis, ut agnoscamus, quantum opere natura nostra sit vulnerata per infernales latrones & eo diligentius omnipotentem Medicum quæramus.

Videmus hic etiam effectum crucis, qui est, quod inter se conjuncti & unanimes vivunt, etiam illi, qui alias splendente fortuna se invicem averfantur. Judæi & Samaritani, ut habemus Joh. 4. 9. non communicabant inter se invicem. Hic verò lepra Judæos & Samaritanum in unam societatem compegit, eosque inter se concordēs reddidit. Sic adversitates multos inter se amicos faciunt, qui alioquin ab aliorum consortio abhorruissent.

II. Dominus Jesus audivit clamorem leprosum fiducia testem, nec surda aure præterit. Ipse enim est ille Dominus, qui Es. 65. v. 24. ait: & erit antequam clament ad me, ego audiam. Felix clamor, qui sistit solem justitiæ currentem, & permovet, ut videat. Ubivis enim ipsius aspectus & intuitus est salutaris, & permovet eum, ut exhibeat beneficium. Cum autem eos sanaturus esset, non tamen ad illos accessit, non eos tetigit, non dixit, estote mundi, sed dixit: *ite, ostendite vos sacerdotibus*: & ita non confestim eos mundat, sed facit, ut inter eundem mundarentur, idque ad 20. ferè millia. Hic Pontificii dicunt stabiliri confessionem auricularem. Et norunt seniores, qualis illa fuerit carnificina animarum & cordium, quia pervaserunt hominibus, nullum peccatum remitti, nisi singula in specie per singulas circumstantias confessario in aurem recitentur. Et si quis sciens ac volens unum subiceat, illud in æternum remitti non posse. Nos quidem ignoramus, quanta illa fuerit maceratio, quia non sumus experti, aliquomodo tamen cogitando assequi possumus. David dicit Ps. 19. v. 13. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me. Cum ergo major pars peccatorum sit occulta, nobisque ignota, in perpetua solitudine & metu Christianus fuit, an etiam omnia fuerit confessus. Et ad periculofam atque desperationis plenam doctrinam alium textum in Bibliis invenire non potuerunt, quam hunc: qui tamen totus ab hac materia fuit alienus. Nam sacerdotes Judæorum non potuerunt lepram tollere, aut homines purgare: Sed tantum judicare & testari, an quis mundus sit, an immundus, & pro curatione sacrificium offerre. Pontificii autem contendunt, neminem à peccato mundari nisi hoc modo sit confessus. Sed refutationem pleniorē hujus doctrinæ junioris habere possunt ex Theologorum nostrorum libris: hic tantum illud notent, quod impertinenter hic textus ad illam doctrinam accommodetur.

Harm. Tom. I.

Et tamen certum est, significare hoc aliquid, neque frustra à Christo factum esse. Quid ergo docere voluit? Doctrina intellectu facilis est, sed tamen utilis & necessaria, ac proinde observanda. Hæc nimirum. Deus dixit Psal. 50. v. 15. Invoca me in die tribulationis, & eruam te. Jam videmus aliquem, qui fuit in tribulatione, scimus eum Deum invocasse, novimus etiam ipsum liberatum esse hoc vel illo modo. Nos etiam incidimus in tribulationem, oramus: sed quia nos non mox & eodem modo liberat, ut alios, confestim statuimus, preces nostras fuisse irritas, neque exauditas: Ex hoc ergo exemplo discamus, Deum non uno eodemque modo omnium preces exaudire, eosque juvare, sed pro libera sua voluntate: iccirco ipsius arbitrio & modum & tempus juvandi resignemus. Hæc doctrina hisce exemplis splendide illustrari potest. Matth. 8. v. 2. legimus, post concionem illam in monte leprosum accessisse Christum, eumque rogasse, ut se mundaret. Christus mox manum extendens, eum tangens, dixit; Volo, esto mundus. Hoc ergo exemplo, & quia postea clamavit Matth. 11. v. 29. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, hi decem etiam sunt moti & excitati ut Christo occurrant, & confimili gratia se juvandos sperent. Quid fit? Vult quidem Christus etiam hosce sanare, & eventus id monstravit, sed longè alio modo: neque enim ad eos accessit, non inspexit, non tetigit, non confestim mundavit, sed dixit: *ite, ostendite vos sacerdotibus*, & demum post iter 20. ferè milliarium effectum curationis Christi sentiunt. Ita videmus modum curationis apud Deum diversum esse. Si jam hi decem leprosi ita affecti fuissent, sicut Naaman Syrus 2. Reg. 5. v. 11. qui indignabatur, quod Propheta Elifæus ad ipsum non progressus esset, nec locum lepræ manu sua tetigisset, nec nomen Domini DEI super se invocasset, sicque eum curasset, & propterea cum indignatione abire volebat, nisi servi id dissuasissent. Si, inquam, hi leprosi etiam indignè tulissent, quod Christus non ad eos accessit, non plagam inspexit, non lepram tetigit, non confestim mundos reddidit, cum tamen ipsi humiliter à longe steterint, non tantum eum rogarint: Sed elevata voce ipsum inclamarint: Sed Dominus tantum eos ad sacerdotes remittit, si dixissent: quid apud sacerdotes nondum curati faciemus, hi nobis lepram semel adjudicaverunt, sententiam suam non mutabunt, & nos ipsi lepram in nobis videmus, lepram sentimus? Frustra ergo ad ipsos mittemur, cum nec illorum iudicio, nec etiam sacrificio mundationis, quæ adhuc nulla est, opus sit. Si tales se exhibuissent, tum etiam nostro iudicio digni fuissent, quibus sanatio subtracta fuisset. Sed non faciunt, patienter moram ferunt; & horam expectant, quæ Christo placuit ipsis sanitatem conferre. Idem ergo & nos facere discamus, ut Deo nostro nil præscribamus; sed sicut oculi servorum in manibus Dominorum suorum, sic sint oculi nostri ad Dominum Deum nostrum directi, donec misereatur nostri Ps. 123. v. 2. Rectè igitur Maria mater Domini, Joh. 2. v. 5. ministris nuptialibus injunxit, quodcumque dixerit vobis, facite. Interim patienter expectemus, donec ipsius hora veniat. Ipse enim est adiutor in opportunitatibus, in tribulatione: Psal. 9. v. 18. Idem & DEUS etiam facere solet in puniendis malis.

T t t t 4



malis. Quosdam qui Christianos ipsius tangunt, in continenti punit, ut Jeroboamum, 1. Reg. 13. v. 4. aliorum tyrannidem magna patientia tolerat, ut Herodem & Romanos Imperatores. Nil ergo ipsi præscribamus, sed cum patientia tam liberationem quam vindictam expectemus.

Porro, quia filius DEI in hunc mundum venit, ut totum hominem Joh. 7. 23. corpore & anima sanet, ideo etiam his verbis, *ite, ostendite vos sacerdotibus*, monstrat, quomodo id fiat; Nimirum remittit nos ad ministerium Verbi & Sacramentorum in Ecclesia: & quemadmodum hi sanati sunt, dum iverunt, & mandato Christi obtemperarunt; ita & nos dum in Ecclesia verbum audimus, absolutio- ne & sacramentis utimur, vult nobis CHRISTUS peccata remittere, nos sanare, ut in cœlesti Jerusalem mundi coram Deo compareamus. Sic cum David graviter peccasset, & totus æger esset, mittitur ad ipsum Nathan Propheta, qui ex DEI verbo peccatum ejus arguit, eumque ad pœnitentiam revocat 2. Sam. 12. v. 1. Act. 9. v. 4. Vult Christus Jerusalem contra Ecclesiam suam tumultuantem sanare, & potuisset quidem ipsi totum cor immutare & informare; sed ipsi quoque dicit: Ingrederere civitatem; ibi, ibi dicitur, quid debeas facere. Et mittitur postea ad ipsum discipulus Ananias, qui ipsum baptizavit. Et hæc est causa, ob quam tam serio & anxie urgeamus auditum verbi & usum Sacramentorum. Per hoc enim medium vult Christus nos à peccatis mundare, & sine eo animæ salutem non possumus consequi. Circumfer antem oculos in mundo, & attende quid fiat, & quomodo homines sint affecti. Quidam cupiunt salvari, quidam etiam sollicitè orant & clamant, ut Deus ipsorum misereatur. Sed quando Deus dicit; *ite, ostendite vos Sacerdotibus*, tum ministerium ipsis sordet: alii nolunt audire con- ciones, quæ ipsis nimium vulgares videntur, cum in libris Poetarum & historicorum longè elegan- tiora legere possint; alii usum Sacramentorum negli- gunt, quia nolunt se idiotis & rusticis æquipa- rari. Quid igitur mirum, si tales non tantum in pec- catis suis maneant, sed etiam de die in diem deteri- ores evadant? Non remittit nos Christus in cœ- lum, Deut. 30. v. 11. sed leve quid, ut videtur, injun- git. Ut ut leve sit, sequitur tamen inenarra- bile bonum: quia is, qui nobis hoc præcipit, est om- nipotens Deus, qui ex minimis maxima produ- cere potest.

III. Hactenus in hisce decem leprosis par fuit fi- ducia in Christum: sed nunc postquam senserunt ejus opem, admodum dispar fuit gratitudo. Etenim cum adhuc immundi erant, quam sollicitè quæsi- verunt sanitatem, quam bonas habuerunt cogitatio- nes, quod mundati pie se gerere velint? quam anxie clamaverunt, *Jesu, miserere nostri*. Nunc postquam cutem vident esse mundam, & se sanatos, benefa- ctoris sui obliviscuntur: *Unus tamen ex ipsis regressus est, & voce magna (quod indicium est animi valdè lati & grati) glorificans Deum*, summa cum reverentia, *procidit in faciem suam ante pedes Jesu*, eique humiliter gratias egit. *Et ipse*, quod magis mireris, *erat Samaritanus*. Reliquos putat Lyra seductos fuisse per sacerdotes Judæorum, qui virtutem & effica- ciam mundationis non verbis Jesu Christi, sed sacrificiis adscripserint. Verum quid opus est aliis hoc attribueri, cum natura & ex se potue- rint esse ita securi. Hic verò quid nos judicabi- mus? Nonne dicemus, o pessimos & ingratißimos

nebulones, dignos quos lepra decies pejor rursus invadat. Sed caveamus, ne festucam videamus in oculis aliorum, & trabem non cernamus in propriis oculis, Matth. 7. v. 3.

Quid enim est ufistatius, quam quod sub cruce omnes anxie clamemus. Nam in angustia requiri- mus Deum, & quando Deus nos affligit & castigat, meditatio nostra ad ipsum, Jesa. 26. v. 16. Ibi offerimus nos ad emendationem vitæ, o quam probi futuri sumus, si ex hoc malo, ex hisce crucia- tibus calculi vel podagræ nos Deus liberaverit: & non pauci sunt, qui serio hoc secum constituunt, aliqui sponsores darent, & promissa literis atque sigillis confirmarent. Sed quotusquisque, restitutus suis hisce promissis stat? Et hoc usque adeo usita- tum est, ut totæ urbes atque regiones, quando fame, peste, bello à Deo puniuntur, clament ac spondeant; Si Deus nos ex hoc malo liberaverit, hæc & illa vitia corrigemus, juxta legum præscri- ptum subditos gubernabimus. Et sanè propositum per se bonum est. Sed quando pœna est sublata, tum plerique redduntur deteriores. Sed quid ad hæc Christus? Non ignorabat hoc beneficium purgationis ad omnes decem pervenisse, licet uni- cus tantum cum gratiarum actione illud agnos- ceret. Quapropter taxat primum reliquorum in- gratitudinem & postea hujus Samaritani gratitu- dinem commendat. *Nonne decem mandati sunt: no- vem illi ubi? Non sunt reperti qui redirent, ut darent gloriam Deo, nisi hic alienigena?* Interrogat, non quod nesciret, sed ut hoc modo ipsorum ingratu- dinem & reprehenderet, & aliis notam faceret. Vult dicere: Certum est omnes decem idem mundationis beneficium accepisse, & tamen uni- cus tantum grata mente illud agnoscit. An non hoc gravi vituperatione dignum est. Sic statuamus Christum adhuc hodie ad dexteram cœlestis sui Patris sedentem oculos in orbe circumducere, & observare, quinam pro acceptis beneficiis grati sint, quinam vitam inde emendent, & qui non. Hos dum videt, querimoniam instituit: Mi pater, Ego hunc & illum hominem servavi, in hac urbe, in illa regione tot millia uxorum & infantium ex peste liberavi, sed nemo illorum hoc grata mente agnoscit, nec vitam emendat. Has querimonias audiunt angeli, & hic singuli cogitant, quam turpe hoc nobis accidat. Idem deprehendemus, si spi- rituali consideremus ingratitudinem. Omnes nati sumus filii iræ, in baptismo remittitur nobis ille reatus, sed non statim in cœlos abripimur, ve- rum dicit nobis, *ite, ostendite*, Sc. h. e. finit nos vi- vere in hoc mundo, ut audiamus Verbum, discamus ejus voluntatem, in fide crescamus, & piè vi- vamus. Sed quot nostrum revertuntur? Si decem ex centum, oportet ipsum contentum esse. Quis sponte sua veterem Adamum mortificat? Quis serio gratias agit? Sanè quidam admoniti id faciunt. Quapropter Verbi ministri in admonitionibus sint crebri, & auditores faciliè eas admittant. Alio- quin is, qui ad dextram patris sedet, non frustra queritur. Nam ex textu colligi potest, reliquos novem corpore quidem sanatos esse, at anima mi- nimè salvos factos. Samaritano enim dicit, ut jam pluribus audiemus, quia retinuit fidem, *illa te ser- vavit*. Reliqui habuerunt quidem initia fidei, & inde corpore sanati sunt: Verum quia secuta est se- cura vita, circa fidem naufragium passi sunt, & propterea pereunt.

IV. Præ-

IV. Præcedentia tria membra fuere hujus historiae peculiaria, & præbuerunt doctrinas, quas fortassis alibi non tam facile inueniemus: hoc quartum membrum, licet etiam alibi in Evangelio habeatur, non tamen hic est prætereundum. Quoniam Christus id, quod gratus Samaritanus (& quidem rectè) ipsi tribuebat & acceptum ferebat, ipse vicissim ipsius fidei tribuendum & acceptum ferendum pronunciat. Nam dum hic alienigena sic prostratus ante Christi pedes adhuc jacebat, dixit ei: *surgens, vade*, securus de hoc beneficio, quod tibi firmum constabit, ad finem vitæ usque: *fides tua te servavit*, sive saluum fecit. Est pulchra sententia, qua Christus in Evangelio sapientius usus est, Matth. 9. v. 22. hæmorrhoeus: ibid. v. 29. duobus cæcis, secundum fidem vestram fiat vobis. Luc. 17. v. ult. peccatrici: & aliis pluribus in locis. Nam Christus servavit hanc consuetudinem, quando habuit doctrinam, in qua multum situm est, quam auditoribus suis voluit commendatam reddere & cordibus ipsorum profunde implantare, tum eam illustri alicui sententiæ inclusit, quam postea sæpius repetiit. Quod etiam de hac sententia statuere debemus. Loquitur autem hic Christus non de externa salute vel sanitate: Nam hujus etiam reliquos novem participes factos esse jam audivimus, sed loquitur de salute æterna, qua fides non tantum hujus Samaritani corpus mundavit, sed etiam animam purificavit, ut totus homo saluus factus sit. Hic dicat quis: At qui putaram, solum Deum nos salvos facere: & Christum esse nostrum salvatorem, ut dicendum sit, Christus te servavit, & non, fides tua te servavit. Num Deo sive Christo hæc gloria adimenda, & nobis, sive fidei nostræ adscribenda est? Resp. Non. Nam de Samaritano expressè hic dicitur *prodidit in faciem, & gloriam dedit Deo*, h. e. agnovit suam indignitatem, & omnem laudem sanationis suæ uni Deo attribuit. Sic nos multo plus in salutis negotio omnem gloriam Deo relinqvamus: nec gloriatur in conspectu DEI omnis caro, sed qui gloriatur, in Domino gloriatur. 1. Cor. 1. v. 19. At instet quis: Cur ergo Christus hic dicit: *Fides tua te servavit*? Resp. Hoc observandum est, quod scriptura utrumque tradit, & 1. quod per gratiam DEI justificemur, Rom. 3. v. 24. quod Christus est justitia nostra, 1. Cor. 1. v. 30. quod Deus sit Dominus salvos faciendi. Ps. 68. v. 21. quod Deus secundum suam misericordiam nos salvos fecerit. Tit. 3. v. 5. Et 2. quod fide justificemur & salvemur. Sed facit hoc magno cum discrimine. Deo salus nostra adscribitur, tanquam causa efficiens, apud quem salutem æternam & non alibi querere debemus. Fides autem, tantum est medium & instrumentum, quo salus à Deo oblata ab homine accipitur. Et hic sedulo cavendum, ne quis putet, fidem esse adeo præclarum & meritorium opus, quod salutem mereatur. Nam omnibus nobis objici potest illud, Matth. 8. v. 26. O vos modicæ fidei. Omnes cum lunatici patre. Marc. 9. v. 24. fateri cogimur: Credo quidem Domine: sed tu adjuva incredulitatem meam. Omnes cum Apostolis orare debemus. Luc. 17. v. 5. Domine adauge nobis fidem. Hoc cum ita se habeat, nemo de fide sua gloriari debet, sed quisque agnoscat illam tantum organum

& instrumentum esse, quo salutem apprehendat, & patiat se hoc dictum ad veram fidem excitare. Nam non deest, qui hominibus donat salutem, sed sæpè desunt, qui eam accipiunt. Deus voluntatem suam de salute nostra in verbo patefecit, & per verbum atque Sacramenta eam in nos effudit: fides vasculum est: in quod salus infunditur, & quo asservatur. Quod ergo quibusdam parum datur, id non sit aliunde, quam quod fides deficit, quæ non accipit. Ideo Deus populo suo dicit, Psal. 81. v. 11. Dilata os tuum & implebo illud.

Vult quoque Christus hoc dicto cor nostrum tranquillare, contra tentationes de certitudine salutis nostræ. Nam quando nobis Deus ex gratia per verbum salutem offert & promittit tum cor auditu verbi fidem aliquam concipit. Sed mox depravata caro nobis obstrepat suis cogitationibus ad dubitationes directis. Quis scit, an Deus etiam serio te saluum esse cupiat? Ah fortassis tu salute non es dignus! Deus est misericors, sed tantum electis. Jam quis scit, an tu sis è numero electorum, multi vocati, pauci electi: via est lata, quæ ducit ad interitum, & multi currunt eam. Hic vult Christus cor nostrum de certitudine confirmare, quando dicit: *fides tua te saluum fecit*: quasi dicturus, non disputes de electione, sed inquire in cor tuum: An fidem habeas, hanc si invenies, non amplius dubites: quia secundum fidem tuam tibi fiet. Sed hic rursus caro obstrepat: At fides tua est admodum infirma & imbecillis, quid illa in salutis negotio efficeret? Resp. sit sanè infirma, est tamen fides, quæ apprehendit Christum, qui satis firmus & fortis est, ut nos infirmos sublevet & portet. Luc. 17. v. 6. Si habueritis fidem sicut granum sinapis, et Spiritus S. adjuvat infirmitatem nostram, ut quando nos nescimus quid oremus, sicut oportet: tum ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, Rom. 8, 26. Quare valde sunt periculosa adversariorum disputationes de electione, quibus & seipos & juniores atque imperitiores sæpè numero implicant. Ab hisce disputationibus Christus nos adducit, qui parcissimè de electione, plurimum autem de fide in suis concionibus egit. Ideo quisque hinc tantum discat, utrum sit in fide, tum de salute dubitare non debet. An autem quis in fide sit, id facile novisse potest. Nam Paul. scribit 2. Cor. 13. v. 5. Vosmet ipsos tentate, si estis in fide, ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmet ipsos, quia Christus Jesus in vobis est, nisi fortè reprobis estis. Sic Propheta David in suis tentationibus non ad electionem, sed ad fidem & spem suam recurrit, Psal. 31. v. 1. In te Domine speravi, non confundar in æternum. Miserere mei Deus quoniam speravi in te. Fiat Domine misericordia tua super nos, quemadmodum speravimus in te: Psal. 33. v. 22.

Sic videmus hoc miraculum leproforum nobis quoque præbere utiles & jucundas doctrinas, ita ut non magnò opere opus sit, querere Allegorias, quibus illustretur. Si quis tamen cupiat plura cognoscere, de lepræ spirituali significatione, quomodo spiritualis illa lepra, peccatum, curetur: & quales sanati sese gerere debeant, ille consulat

LII. caput Harmoniæ nostræ.

CAPUT

CAPUT CXXVI.

HABENS CONCIONEM CHRISTI DE ADVENTU REGNI DEI:

LUCÆ 17. v. 20.

RATIO ORDINIS.

**C**HRIſTUM hanc concionem in Galilæa, poſt ſuum illum adventum habuiſſe, dubium non eſt. Eo quoniam Pharifæi etiam Hieroſolymis ipſum ſecuti ſunt, movent ipſi quaſtionem, quando vel tandem venturum ſit regnum Dei. Hiſta reſpondet Dominus, & pravam ipſorum opinionem taxet, poſtea verò diſcipulos diligentius edocet, de ſtatu temporis adventus ſui, ut & ipſi confirmatiores ſint in veritate, & cautiores in vitandis periculis illius temporis. Et licet de illis Apoſtolorum temporibus poſſimum agat, noſtris

tamen temporibus, quæ noviffimo adventui vicina ſunt, etiam ſerviunt: quia in Hieroſolymorum & Judaicæ gentis excidio nobis præluſum eſt. Hæc eadem autem, quæ Chriſtus diſcipulis in Galilæa dixit, poſtea Matthi. 24. & Marc. 13. Hieroſolymis repetit. Unde quidam etiam hunc textum eodem rejiciunt, & putant, quæ hæc hic per Anticipationem annotaſſe. Sed noſ hæc vidimus, Chriſto non inſolens fuiſſe, eandem doctrinam, diverſis in locis, certitudinis ergo repetere. Quæ propter nec nobis moleſtum eſſe debet, unumquodque ſuo loco tractare.

CONCIO DE ADVENTU REGNI DEI.

LUC. 17.

- 20. Ἰππερωθηθεὶς δὲ ὑπὸ τῶν Φαριſαίων, πότῃ ἐρχεται ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ; ἀπεκρίθη αὐτοῖς, καὶ εἶπεν, οὐκ ἐρχεται ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ μετὰ παρατηρήσεως.
- 21. Οὐδὲ ἐρχοσιν, ἰδοὺ ὡδὲ ἢ ἰδοὺ ἐκεῖ ἰδοὺ γὰρ ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἐντὸς ὑμῶν ἐστίν.
- 22. Εἶπε δὲ πρὸς τοὺς μαθητάς, ἐλεύσονται ἡμεῖς ὅτε ἐπιθυμήσετε μίαν τῶν ἡμερῶν τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου ἰδεῖν, καὶ οὐ φέοδε.
- 23. Καὶ ἐρῶσιν ὑμῖν ἰδοὺ ὡδὲ, ἰδοὺ ἐκεῖ· μὴ ἀπέλθῃτε, μὴ δὲ διαζήτε.
- 24. Ὡσπερ γὰρ ἡ ἀστραπή ἡ ἀστραπίσσει ἐκ τοῦ οὐρανοῦ εἰς τὴν γῆν, οὕτως λαμπεῖ, ὅπως ἔσται ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῇ ἡμέρᾳ αὐτῇ.
- 25. Πρῶτον δὲ δεῖ αὐτὸν πολλὰ παθεῖν, καὶ ἀποδοκιμασθῆναι ἀπὸ τῆς γενεᾶς ταύτης.
- 26. Καὶ καθὼς ἐγένετο ἐν ταῖς ἡμέραις τοῦ νοῦ, ὅπως ἔσται καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου.
- 27. Ἦθιον ἐπινοῦν, ἐγάμων, ἐξεγαμίζοντο, ἀχρεὶ ἥς ἡμέρας εἰσέλθῃτε νοῦ εἰς τὴν κιβωτὸν, καὶ ἦλθεν ὁ κατακλισμός, καὶ ἀπώλεσεν πάντας.
- 28. Ὁμοίως καὶ ὡς ἐγένετο ἐν ταῖς ἡμέραις λωτ, ἦθιον, ἐπινοῦν, ἠγύραζον, ἐπώλων, ἐφύτευον, ὠκοδομοῦν.
- 29. Ἡ δὲ ἡμέρα ἐξῆλθε λωτ ἀπὸ σοδῶμων, ἐβρέχε πῦρ καὶ θείον ἀπὸ οὐρανοῦ, καὶ ἀπώλεσεν πάντας.
- 30. Κατὰ ταῦτα ἔσται ἡ ἡμέρα ὅ ὅ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἀποκαλυφθεῖται.
- 31. Ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ ὅ ὅ ἔσται ἐπὶ τῆς δόματός, καὶ τὰ σκευὴ αὐτῆ ἐν τῇ οἰκίᾳ, μὴ καταβάτω ἀπὸ αὐτῶν, καὶ ἐν τῷ ἀγρῷ, ὁμοίως μὴ ἐπιστρέψατω εἰς τὰ ὀπίσσω.
- 32. Μνημονεύετε δὲ τῆς γυναῖκος λωτ.

- 20. Interrogatus autem à Phariseis, quando venturum esset regnum Dei, respondit eis, & dixit, non veniet regnum Dei cum observatione.
- 21. Neque dicent, ecce hic aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est.
- 22. Et ait ad discipulos, venient dies, quando desidereris unum dierum filii hominis videre, & non videbitis.
- 23. Et dicent vobis, Ecce hic, ecce illic. Ne abeatis, neque festemini.
- 24. Nam sicut fulgur coruscans è regione, qua sub celo est, in alteram, qua sub celo est fulget, ita erit filius hominis in die suo.
- 25. Sed prius oportet illum multa pati, & reprobari à natione hac.
- 26. Et sicut accidit in diebus Noe, ita erit in diebus filii hominis.
- 27. Edebant, bibebant, uxores ducebant, & dabant nuptum ad eum usque diem, quo intravit Noe in arcam, & venit diluvium, & perdidit omnes.
- 28. Consimiliter etiam sicut accidit in diebus Lot, edebant, bibebant, emebant, vendebant, plantabant, edificabant.
- 29. Ceterum quo die exiit Lot è Sodomis, pluit igni & sulphure de celo, & omnes perdidit.
- 30. Secundum hæc erit dies, quo filius hominis revelatur.
- 31. In illo die qui fuerit in tecto, & vasa ejus in domo, ne descendat ad tollendum illa, & qui in agro similiter non redeat ad relicta.
- 32. Memores autem estote uxoris Lot.